

besque tribuere , ut veterum Regum Majorum
Tuorum in Deiparam cultum officiis omnibus
tuare , & , quantum fieri per Te potest , imi-
tari contendas . Id unum deest Mysterio , quo ad
summum perveniat honoris gradum , Apostolicæ
Sedis definitio . Eam Tu petivisti a Pontifice
Maximo ; utque iterum petas , Caroli Secundi
Decessoris Tui optimis monitis , exemplisque
incitaris . Ille enim Te supremis tabulis rogat ,
*ut vicem suam in id enixius incumbas ; neque insta-
re desistas , quoad Christi Vicarius hoc Mysterium
desinat , Matrisque Divinæ immunitatem decernat
ad fidem Catholicam pertinere .* Hisce Te vocibus
ad opus egregium promovendum magnopere
commoveri necesse est ; vocibus , inquam , pru-
dentissimi Regis , qui cum Te moriens in amplissi-
mi imperii hæreditatem jure vocavit , Tuus pa-
ter est factus ; quique a Te filio hanc sibi gra-
tiam referendam speravit , ut hac re procuranda ,
ac perficienda viventem Carolum repræsentares .
Quæ cum ita sint , nemini mirum videri debet ,
quod liber iste , quantumvis licet exiguus , in
Tuo Nomine appareat . Continet enim defensio-
nem libelli , qui Tuo Nomine Clementi XII.
oblatus est , & obsoletis adversariorum quorum-
dam , hoc est inanibus argumentis confutatus .
Tu quod adhuc fecisti , facere pergas , & opti-
mam